

IOANNIS CRATONIS

cæcam fortunam, quæ vix vnquam periculo vacat, atque imaginariam istam, vt mol-  
 lissimè dicam, in cognoscendis medicamentis Antipathiam, Sympathiam, & Har-  
 moniam, corporisq; , cui hæc applicantur, Anatomiam ( qua se nunc rerum omnium  
 imperitissimi, atque in summa ignorantia, audacia & temeritate impudentissimi, su-  
 pra omnes efferunt ) sine arte ab Hippocrate tradita, & Galeno exculta, sequamur.  
 Hac, inquam, in re vt pro virili mea iuuarem artis Medicæ studiosos, ea quæ apud  
 me summa sunt, & esse debent, posthabui, atque vt ista correctione nostra perpolita  
 prodirent, operam dedi. Celebrationem ex his vt non quero, ac laborum potius ve-  
 niam, quàm præmium expeto: ita despicientiam imperitorum, apud quos  $\epsilon\iota\gamma\ \iota\mu\eta\ \eta\mu\epsilon\delta\ \kappa\alpha\kappa\acute{o}\varsigma\ \eta\delta\epsilon\ \kappa\alpha\iota\ \epsilon\delta\lambda\acute{o}\varsigma$  ( quòd Antisthenes commutationem rerum atque exitium  
 communitati portendere dicebat ) & qui ista non pluris quàm circumforaneas chartas  
 existimant, vel maleuolentia vituperatorum ( quorum hæc est oratio, Alienos libros  
 studio maximo eos edere, domi quibus nihil nascitur sua ) non magnopere extimesco.  
 Premeditatum enim illud habeo, in editione alienorum librorum plerunque idem vsu  
 venire nobis, quod assolet in alienis liberis educandis, scilicet vt fortuna atque gratia  
 destituamur: atque hunc laboris mei fructum expeto, vt dum bonis ingeniis ad cogni-  
 tionem & tractationem artis Medicæ adiumento sunt, plurimorum saluti consuluisse,  
 & grati animi erga Montanum, quasi  $\alpha\iota\omega\iota\ \pi\epsilon\lambda\alpha\rho\gamma\acute{\omega}\nu$ , memoriam omnibus publicè de-  
 clarasse videar. Cum autem à temporibus Ptolemæi Philadelphi in hunc vsque diem  
 ratio illa edendi, & aliena scripta etiam dedicandi ijs, à quibus vel conseruata sunt,  
 vel qui de re literaria aliis modis bene merentur, fuerit vsurpata, atque à prudentiori-  
 bus & cordatioribus hoc spectatum, vt vel grata memoria conseruationis atque com-  
 municationis publicè celebrentur, vel de optimis artibus benè meritis gratiæ agantur,  
 & commemoratione virtutis non solum viui & præsentis homines, verùm posteri quo-  
 que ad simile iuuandi & prouehendi rem literariam studium, decusq; in gente vel com-  
 munitate conseruandi incitentur: vtrunque & ego, quantum in me est, hoc in loco exe-  
 qui sum conatus. Ac quod ad illos, quorum opera adiutus sum, attinet, beneuolen-  
 tissimè, & honoris in primis gratia nominatos à me sciunt, quicunque mea scripta le-  
 gunt. Ceterùm cum ad elaborationem, qua hic liber conquisitione, emendatione atque  
 perpolatione nostra à me compositus est, Diuina benignitas mihi in patria mea locum  
 atque tempus concesserit: nunc quoque commutatis rebus eodem, quo ante triennium  
 fui, dum in vestro P. C. nomine eum apparere publicè cuperem, animo sum, ac ad-  
 monitus cantilena, quam pueros in publico cecinisse Plato refert,  $\epsilon\pi\ \tau\acute{\alpha}\nu\ \delta\epsilon\theta\acute{\omega}\varsigma\ \delta\iota\theta\epsilon\acute{\iota}-$   
 $\tau\omega\upsilon\ \alpha\phi\epsilon\sigma\iota\varsigma\ \epsilon\kappa\ \epsilon\sigma\iota$ : hoc in loco honoris vestri causa quedam de affectione beneuola non  
 solum in me, verùm artem medicam commemoranda puto. Ex eo enim tempore, quo  
 depulsa barbarie humanitatis studia exculta sunt, & bonis disciplinis ac purioribus li-  
 teris magna vestra P. C. cura atque diligentia suus in patria nostra constitutus honos,  
 ingenio, doctrina, atque vsu excellentes Medicos ciues habuistis, eosq; liberalitate & be-  
 nignitate vestra, vt vel rem bene gererent patria procul, vel utiliter & cum dignitate  
 Reipublicæ domi inseruirent, adiuuistis. Inter hos & mihi totis propemodum tredecim  
 annis honestus atque laudabilis datus est locus: & dum superiori proximo anno in Sa-  
 cratissimæ Cæsareæ Maiestatis aula, propter Imperatoris FERDINANDI AV-  
 GVSTI P. F. vereq; patriæ patris, valetudinem, remanendum esset, ea beneuo-  
 lentia